



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini
Carmina Selecta**

Santeul, Jean de

[S.I.], 1679

Achilli Achillis In Supr. Senatu Procuratoris Regii Filio Harlaoe.
Genethliacon.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13401



A CHILLI
ACHILLIS IN SUPR. SENATU
PROCURATORIS REGII
FILIO HARLÆO.

GENETHLIACON.

HARLÆÆ spes gentis; amor, patriæque
voluptas,
Et pars magna Patris, nascere parve
Puer.

Dum tener es, tenero tibi fas præludere versu,
Succedatque gravi fistula blanda tubæ.
Et jam te aspicere, & vultum observare tuendo,
Et primâ liceat simplicitate frui.
Tempus erit, quo te populi, te turba clientum,
Te legum in solio cinget amica Themis.

Aut bellatorem te Martia castra reposcent,

Ambiet & densus miles utrumque latus.

Difficiles mihi tunc aditus, nec jam ora licebit

Cernere, nec numeris te recreare meis.

Dum vacat ergo, tuæ molli nutricis in umbra,

Incipiam tecum ludere, parve Puer.

Te blandum affari, dare collo brachia circum,

Libare & roseis oscula prima genis.

HARLÆUM vocitare, tuosque ostendere nuper

Extulit in cœlum quos mea Musa Patres.

Nam te, cùm teneros ætas firmaverit annos,

Seu sibi Mars repeatat, seu sibi sancta Themis.

Quem te tum memorem? quo te tum carmine dicam?

Et qua voce tuum nomen ad astra feram?

Mars galeas, tibi scuta feret, tibi tympana & enses,

Et bello insignes enumerabit Avos.

Parte aliâ fasces, trabeas, sellasque curules,

Proponetque Patres ambitiosa Themis.

Interea dubius tantam meditabere sortem,

Quidquid eris, magno munere major eris.

Astego, quod cecini magnum & memorabile carmen

HARLEADUM inscriptum nomine, rite feram.

Hic famam accipies, nomenque & facta Parentum,

Et celebres longâ posteritate Viros.

Tot

Tot Proceres inter dígito ostendendus ACHILLES,

Ipse suæ gentis gloria, & ipse caput.

SANCIUS hos animos, quibus olim contudit hostes,

Te si fortè vocant Gallica bella, dabit.

Si te Pax; Atavi firmum mirabere pectus,

Quod nec seditio, nec fera vincla movent.

SILLERII totam agnosces ex ordine gentem,

Et BELLE' VRÆÆ tot monumenta domûs.

POMPONII rediviva, ingens occurret imago;

Illa animos ingens pascat imago tuos.

Succedent gemini generosa è stirpe Nepotes;

Et decus, & columen, præsidiumque togæ.

POMPONIUS Themidis sceptræ inconcussa tenebit,

[Non semel hoc Reges obſtupuere caput.]

Hic fletus effunde, Puer, namque occidet ille

Ante diem: Ah! Themidi semper acerba dies.

Hos compesce tamen, Puer ô dulcissime, fletus;

FRATER, qui reparet damna, superstes erit,

Olli par gravitas, par experientia rerum,

Par animus, par & gloria, parque vigor.

Te LAMONIADEN materno à sanguine dicet.

Gestiet hæredem sæpe vocare suum.

Addet blanditias, simul alta exempla tuorum;

Miscebit lepidis grandia facta jocis.

Ex illo: disces durâ virtute ferocem
 Subdere fortunam, teq; probare virum.
 Hæc dum suspicies, toto se carmine proder
 Tantis Principibus mixtus ubique Parens.
 Hujus at imprimis præclara imitabere facta,
 O Puer, ingentes & superabis Avos.

